

HEINRICVS BOIORVM DVX.



HEinricus filius fuit Friderici ducis Bauariæ qui Landshutæ habitauit. Is egregiè indolis princeps & gloriæ cupidus, ad sinum Codanum Venedumq; mare processit, atq; cum Teutonicis ordinis equitibus per annos octo contra Lithuaniaos & Polonos fortiter dimicauit. Interea dum ab fuit Heinricus, Gubernator ducatus oppignorata redemit, atque æs alienum, à maioribus contractū magna prudentia soluit. Heinricus autem anno 9 domum reuersus Margaritham Austriacam Alberti Cæsaris sororem uxorem duxit, atque rei familia ris studiosus esse cœpit. hinc factum ut ingentes di uitias compararit, & diuitis cognomen ad posteros transmiserit. Heinricus ille ciuitate summa atq; popularitate alios principes sui temporis longè superauit. Primum enim principalium eius operū fuit supplices audire, populariū quorumlibet causas accurate cognoscere, celeriter responsa dare, & iudicere. Quemlibet cui quippiam rei in aula esse suspica